

Episcopalia, seu quasi Episcopalia, usumque mittæ, & baculi, & benedicendi, ac facultatem primam tonsuram & minores ordines conferendi, non posse istam primam tonsuram nec alios ordines minores, nisi suis subditis regularibus conferre; non autem regularibus alterius Ordinis, Congregationis, ac instituti, etiam si habeant litteras dimissorias suorum Regularium, & consensum Ordinariorum, intra quorum diocesum fines ipsi regulares ordinandi existunt: & multo minus personis secularibus etiam habentibus litteras dimissorias à suis ordinariis. Et subdit sacra Congregatio; & si secus fiat, tam concedentes, quam ordinantes, à collatione Ordinum suspensi remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejusdem Congregationis reservatas; quam declarationem approbavit Sanctiss. D. Urbanus VIII. die 17. Janu. 1641. & refert Diana p. 7. n. 11. Resol. 42. & testatur se eam accepisse à Secretario prædictæ Congregationis, & sic jam cessat tota controversia.

Urb. VIII. Diana.

QUESTIO XI.

Si aliquis secularis, vel regularis alienæ Religionis sit in minoribus ordinatus ab aliquo Abbate, an tales ordinationes non solum sint illicitæ, sed etiam invalidæ?

SUMMARIUM.

- 38 Status questionis.
39 Auctores affirmantes ordines invalidos.
40 Prædicti ordines validi, sed illiciti, & n. 41.

38.

Præfens difficultas est: An si aliquis religiosus alterius religionis, vel aliquis secularis ordinetur ab aliquo Abbate, Quartitur an tales ordines minores cum prima tonsura, non solum sint illiciti, sed etiam invalidi; ita ut suscipiens sit ordinandus, tanquam nunquam tales ordines suscepisset.

39.

Quod tales ordines sint invalidi, ac nulli, sic suscepti; tenet Laurentius de Pirinis de Pralato regular. tom. 1. quest. 3. cap. 7. num. 23. & citatur etiam pro hac sententia Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 29. num. 8. Fundatur: quia Concil. Tridentinum citato loco sess. 23. cap. 10. ait: Non liceat Abbatibus cuiquam, qui regularis subditus non sit primam tonsuram, ac minores ordines conferre. Cum Concilium dicat, non liceat, videtur auferre potestatem Abbatibus, ac proinde tales ordines recipiuntur à non habente potestatem, & inde nullæ sunt.

Pirin.

Suarez.

Trident.

40.

Opposita sententia mihi est vera, quod tales ordines sunt invalidi, & illiciti quoad usus ordinum. Ita Fr. Emanuel, tom. 1. quest. 18. art. 1. Molfel. tom. 1. tract. 2. cap. 2. num. 18. in fine. Sanchez in consil. lib. 7. cap. 1. dub. 11. num. 17. Tamburin. tom. 2. disp. 2. quest. 8. num. 1. Præpositus in 3. part. disp. unica de Sacramento Ordinis, dub. 13. num. 124. Marcel. Vulpe cap. 7. n. 10. Ludovic. de San Joan en su Lucia. de Sacerd. cap. 7. num. 10.

Fr. Emanuel.

Molfel.

Sanchez.

Tambur.

Bizposi.

Vulpe.

Ludovic.

Fundamentum est; quia Concilium ait Non liceat; ac proinde solum reddit actus illicitum; nam ad hoc ut actus esset invalidus, aliâ formâ verborum erat utendum, v. g. Non possunt Abbates, vel non habent jurisdictionem. Confirmatur; quia cum quidam laicus suscepisset primam tonsuram, ac minores ordines ab Abbate Cassinensi, & postea dubitaverit, an ordines essent invalidi, vel ipse indigeret dispensatione, quod dohim cum esset delatum ad Sedem Apostolicam, respondit sacra Congregatio Cardinalium: Quod indigebat dispensatione; sed non est necesse, us iterum ordinetur. Hanc adducit Barbosa declarationes ad Tridentinum, & est secunda in ordine.

41.

QUESTIO XII.

An hodie Abbates possint conferre majores ordines Diaconatus, & Subdiaconatus?

SUMMARIUM.

- 42 Sententia affirmans.
43 Sententia negans.

Affirmativam sententiam tenent Philibertus tract. 1. de Sacram. Ordinis, part. 2. cap. 13. n. 9. Brunus part. 2. tract. 7. cap. 3. prop. 5. & fortiter pro hac sententia pugnat Caramuel. cap. 62. num. 1626. Hoc concessum esse Abbati Cisterciensi, & primis quatuor Abbatibus ab Innocencio VIII. anno 1489. Bulla, quæ incipit: Exposuit sua devotionis. Ut ejus subditi ne extra claustrum vagare cogantur pro suscipiendo Diaconatu, & Subdiaconatu, ut eis prædictos ordines conferre valeat ipse Abbas.

42.

Philibert.

Brunus.

Caramuel.

43.

Contraria sententia est vera, eam tenent Navarrus Fr. Emanuel. Valq. Layman, quos citant & sequuntur Castl. Palaus tom. 4. tr. 27. Resol. 40. quia quamvis concedatur quod illa potestas data sit Cisterciensibus, tamen illa hodie nullo modo potest uti, nam ut notant Navarr. Fr. Emanuel, & alii citati, videtur usu, ac consuetudine abrogata, & hoc indicat Tridentinum sess. 23. c. 10. de reform. Nullam in Abbatibus talis potestatis facit mentionem, & solum ei permittit primam tonsuram, ac minores ordines conferre, non omnibus, sed tantum suis subditis, & cum Concilium solum agat de minoribus ordinibus, nullam aliam in eis agnoscit potestatem. Et confirmatur: quia Tridentinum sess. 23. cap. 12. ad majores ordines, ut Diaconatus, & Subdiaconatus, requirit examen Episcopi cum clausula revocatoria privilegiorum Regularium: ergo privilegium aliter suscipiendi ordines revocatum est.

Navar.

Fr. Emanuel.

Valquez.

Layman.

Paulus.

Diana.

Trident.

QUESTIO XIII.

An Abbates possint ministrare Sacramentum Confirmationis?

SUMMARIUM.

44 Ordinaria potestas non datur, sed tantum delegata est à Papa.

44.

Negativa sententia est communis, & recepta ex ordinaria potestate; nam Sacramentum Confirmationis ita est actus ordinis Episcopalis, ut non possit ministrari ab Abbate qui Episcopus non sit, nec à simplici sacerdote, etiam de licentia Episcopi, nisi tantum ex delegatione Summi Pontificis, & Chrismate confecto ab Episcopo, ut probat expressè text. in cap. pervenit, 95. distinct. ita D. Thomas 3. part. quest. 72. art. 11. Bellarm. de Confirmat. cap. 12. Coninch. de Confirmat. num. 97. & 105. Valquez 3. part. disput. 219. cap. 1. num. 3.

C. Pervenit. D. Thomas. Bellarm. Coninch. Valquez.

QUESTIO XIV.

Utrum Abbates assumi possint in Clericorum degradatione.

SUMMARIUM.

45 Proponitur Decretum Concilii Tridentini.

45. Trident.

Decrevit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 4. de reformat. Quod deficientibus Episcopis ex jure necessariis, in eorum locum in Clericorum degradatione, Abbates, qui usum mi ræ, & baculi, ex privilegio Apostolico habent, assumi valeant cum proprio Episcopo, quos quidem esse judices assessores, & eorum suffragio standum est; post Geminian. & Sylvestrem tenet Suar. tom. 5. ad 3. part. de censuris, disp. 30. sect. 1. num. 20. sed nec assessores, nec consultores esse, sed adhibitos tantum ad solemnitatem ex Aldret. de Religiosa disciplina tuenda, lib. 12. cap. 17. num. 15. tenet Barbosa de potestate Episcopi, 3. part. allegat. no. num. 26. & deficientibus Abbatibus assumi possunt aliæ personæ Ecclesiasticæ ætate graves, & scientia commendabiles, ut statuit idem Concilium.

Geminian. Sylvester. Suarez. Aldret.

Barbosa.

QUESTIO XV.

An Abbates vocandi sint ad Concilium Generale, vel Provinciale, in eoque habeant votum decisivum.

SUMMARIUM.

46 Abbates sicut, & Generales vocandi ad Concilium.
47 Abbates sedenti post Episcopos.

46.

Abbates Regulares præcipue qui habent jurisdictionem Episcopalem, vel quasi

Episcopalem vocandi sunt ad Concilia Generalia, sive Provincialia, ut post Panormitan. Azor. Villadieg. Campeg. quos citat, ac sequitur Jacobatius, de Consiliis lib. 2. art. 2. à num. 38. licet contrarium teneat Flores de Mena lib. 3. quest. 24. num. 8. tamen saltem ex usu, ac consuetudine debent vocari, sicut & Generales Ordinum Mendicantium; unde in Concilio Lateranensi, Florentino, ac Tridentino vocati reperiuntur, ut notant citatus Jacobatius Bellarm. De Concil. Ecclesia lib. 1. n. 15. vers. ad Catholis. In eoque habent votum decisivum, sicut Episcopi. ex cap. Convenientibus 1. quest. 7. & cap. Adrianus 2. dist. 63.

Panorm. Azor. Villadieg. Campeg. Jacobat. Flores de Mena. Bellarm. C. Convent. C. Adrian.

Quantum autem ad locum sedent Abbates post Episcopos, & ante Episcoporum absentium procuratores. Flavius Cheral. in Compendio Bullarum tom. 2. Pii IV. Franciscus Leon. in Theaur. For. Ecclesiastici. part. 1. cap. 9. num. 5.

47. Flavius. Franc. Leon.

RESOLUTIO II.

De Abbatisa, & Priorissa.

QUESTIO I.

Abbatissa nomine monialis non venit in odiosis, maxime verò in favorabilibus.

SUMMARIUM.

- 1 Abbatissa unde dicta.
2 Abbatissa in odiosis non venit nomine monialis.

INCIPiendo à nomine Abbatissæ Abbatissa idem est, ac Mater, derivatur à nomine Hebræo, Abba, à quo nomine, Abbas trahit originem; ut dixi superiori Resol. quest. 1. Videnda ibi dicta.

Abbatissa, etsi in favorabilibus veniat nomine monialis seu Religiosæ; non tamen in odiosis, ut superiori Resol. quest. 4. n. 13. Quia supra conditionem monialium habet dignitatem Abbatissæ; Inde ille qui loquitur cum moniali Abbatissa non incidit in censuram laicam contra loquentes cum monialibus. Lezana verb. Abbas n. 6. Diana 3. p. tract. 2. Re. Pelliarz. fol. 58. Pellizar. tom. 1. tract. 6. cap. 6. num. 21. & idem dicunt de novitia. De quo infra cum de monialibus fuerit sermo.

Lezana. Diana. zana verb.

QUESTIO II.

De ætate annorum, ac professione Abbatissæ eligenda juxta Tridentinum.

SUMMARIUM.

- 3 Ætas requisita à Concilio ad Abbatissam.
4 Si non fuerit in conventu, talis ætatis.
5 In his anabus conditionibus solus Papa potest dispensare.

6. Prælati habet facultatem, ut monialis electa exeat.

3. Abbatissa, ut eligatur, non solum requiritur ut sit expresse professa, sed etiam ut non sit minor quadraginta annis, & ut octo annis post professionem laudabiliter vixerit; sic decernit Concilium Trident. sess. 25. cap. 7. de reformatione, his verbis: Abbatissa, & Priorissa, & quocunque alio nomine profecta, vel Proposita appelletur, eligatur non minor quadraginta annis; & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si in conventu his qualitatibus monialis non inventiatur, Præsidens electioni, si judicaverit non eligere ex alio monasterio ejusdem ordinis, tanquam quidam comodum.

4. Subdit Concilium: ex iis, quæ in eodem monasterio annum trigessimum exceperint, & quinque saltem annis post professionem recte vixerint, Episcopo, vel alio superiore consentiente eligatur. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 6. n. 9. Testatur se à personis gravissimis accepisse quandam declarationem sacre congregationis quod licet Abbatissa per quinquennium non manserit in Religione, dummodo excedat triginta annos ad postulationem Monialium ex licentia Cathedralis dignitatis, ac sui superioris regularis eligi valet.

5. In his duabus conditionibus annorum, & ætatis, & professionis, quæ à Concilio requiruntur, nec Episcopus, nec alius superior potest dispensare; est enim lex Pontificia super quam inferiores Pontifici, nihil possunt nisi illis concedatur, Armendar. in additionibus ad recopilat. legis Navarra, lib. 1. tit. 18. lib. 7.

6. Si verò in monasterio nulla inventiatur apta ad regimen, quæ habeat triginta annos ætatis, licet habeat octo religionis, tunc respondeo cum Suar. citato, num. 10. Quod eligenda est Abbatissa ex alio monasterio ejusdem ordinis, licet aliquæ difficultates sint superandæ; & ad hoc ut monialis electa exeat à monasterio ad alium ejusdem ordinis, non est necessaria licentia Papæ, ut cum Guaranta observat Tamburin. tom. 4. disp. 28. quest. 2. num. 12. sed ad hoc sufficit Prælati Præsidens electioni, quæ enim facultas videtur ei data à Concilio: Qui enim dat formam, dat consequentia ad formam.

QUESTIO III.

Utrum anni repositi à Concilio ad eligendam Abbatissam sint completi, vel sufficiant incepti?

SUMMARIUM.

- 7. Prima opinio pro incompletis.
8. Secunda sententia pro completis.
9. Questionis Resolutio.

7. Quod quadraginta anni ætatis requisiti à Concilio, & octo professionis non sint completi, sed inchoati multis probat Portel. 1. part. respons. Moralium casu 13. num. 1. nam Trident. citata sess. 25. cap. 7. ait, quod

si in monasterio non reperitur monialis, quæ habeat quadraginta annos subdit, quod eligantur; Quæ in eodem monasterio annum trigessimum exceperint. Ubi expresse Concilium in ætate triginta annorum requirit annos completos: Trigessimum exceperint; ergo si idem valeret in ætate quadraginta annorum, hoc etiam exprimeret.

Oppositam sententiam; quod anni debeant esse completi tenet Garcia de beneficiis, p. 7. cap. 4. num. 71. Barbosa de jure Ecclesiastico, cap. 45. num. 19. lib. 1. Citat que pro ea Riccium, Didacum Narbona, Machado, Azor. Sigism. à Bonor. Mirandam, Urselium, Hieronym. Rodrig. Novarin. Fundantur; quia Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 12. de reformatione, ait: Ad ceteras autem dignitates, vel personatus quibus animarum cura nulla subest, Clerici aliqui idonei, & 22. annis non minores assumantur. Ubi sacra Congregatio declaravit; quod ille annus vigesimus secundus debeat esse completus; sic etiam annus quadragimus, requiritur quod sit completus; tamen Henriquez lib. 14. cap. 8. num. 50. in Glossa Henrici. X. S. Aphor. verb. beneficium, num. 31. Zerola in praxi, part. 1. verb. beneficia, §. 1. vers. ad dignitates, Azor. part. 2. lib. 6. cap. 5. quest. 3. Azor. in fine. Existimant duos & viginti annos sufficere inceptos, & non requiri completos, Diana part. 7. tract. 17. Resolut. 9. ait: Quod diceret opinionem probabilem tam Porteli, quam Garcia, nisi obstaret declaratio Cardinalium adducta pro anno completo.

Secunda opinio communior, prima & Porteli probabilis, & secunda in conscientia, quia frequenter dum Concilium loquitur de annorum ætate, agit de annis completis, ut patet de ætate ordinandorum, & etiam citata sess. 14. cap. 12. de reformatione. Ad majores dignitates, quibus cura animarum subest disponit Concilium, ut eligatur: Qui vigesimum quintum suæ ætatis annum attingerit: Ubi sermo est de annis incompletis. Declaratio Cardinalium obstaret si ostenderetur authentica, & haberet vim legis, de quo infra cum de Cardinalium Declaratione fuerit sermo.

QUESTIO IV.

An due conditiones annorum requisitæ à Concilio sint substantiales?

SUMMARIUM.

- 10. Prima sententia dicit esse substantiales.
11. Secunda dicit non esse substantiales.
12. Electio non est irrita, ipso facto, sed irritanda.

EX defectu annorum, qui à Concilio ponuntur, ut retuli quest. 2. electionem Abbatissæ esse nullam, & irritam, tenet Tamburin. 4. tom. disp. 28. quest. 2. num. 7. & probat tum ex quadam declaratione sacre Congregationis sub die 16. Maii, ann. 1623. relata à Barbosa lib. 1. de jure Ecclesiast. cap. 45. n. 19. Cum enim verba dant formam actus, si fiat actus, non servata illa forma, ipso jure est nullus

Bartol. Gomez. Lezana.

nullus: ut tenet Bartol. in l. Gallus ff. lib. & posthurn. Gomez in cap. fin. §. si verò de judic. lib. 6. num. 19. In hanc sententiam inclinat Lezana in summa, verb. Abbatissa, num. 2. si constet authenticè de illa declaratione, ac de alia, quam refert Iulius LAVORIUS, Incubrat. tit. 4. cap. 23. num. 6.

Jul. Lavor.

11. Suar.

Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 6. num. 8. ait: Quod hæc duæ conditiones annorum, ætatis, & professionis non proponuntur à Concilio tanquam substantiales, nec ab eo irritatur electio aliter facta, sed simplex prohibitio ponitur, ut non aliter eligatur; ac proinde si electio alioquin sit facta juxta commune jus, ipso jure, non est irrita, sed irritanda, & hanc sententiam esse satis probabilem tenet Pellizar. tom. 3. tract. 10. cap. 10. num. 92.

Pellizar.

12. I. Quoties.

Quæ etiam sententia mihi videtur multum probabilis; tum quia in Concilio non ponitur clausula irritans, & multa sanè prohibentur, quæ facta tenent; tum quia in dubio interpretari facienda est, pro valore actus, ut potius subsistat, quam corrumpat, l. Quoties, ff. de rebus dubiis, tum quia declaratio allegata non ostenditur authentica, vel non obligat instar legis universalis; & actus sine debita forma factus tunc solum est nullus quando forma ponitur tanquam substantialis, id autem in præsentem nullo modo colligitur ex verbo Concilii.

QUESTIO V.

Circa ætatis annos requisitos à Concilio ad electionem Abbatissæ; tres casus proponuntur, ac resolvuntur.

SUMMARIUM.

- 13. Abbatissa electa ante ætatem, eam dissimulans.
14. Si in uno conventu sit una tantum monialis habens requisita à Concilio.
15. Si concurrant due moniales, & in qualibet deficit una conditio Tridentini, & n. 16.

Multi viri docti.

13. PRIMUS casus contingit in hac civitate Ulyssiponensi in quodam amplo monasterio, in quo erant multe moniales per antiquæ sexagenariæ, & octogenariæ, tunc quædam nobilissima monialis occultans ætatem, non habebat quadraginta annos à sua nativitate, tamen ferè viginti à sua professione. Sic electa cepit scriptulis agitari, consultis juris doctissimis, ac etiam me, resolutum fuit, quod in officio suo continuaret, tum ad proprium dedecus vitandum, tum quia juxta dicta superioris quæstione, electio non erat ipso facto irrita, sed irritanda; tamen quod diligenter quantum fieri posset, interim à Sede Apostolica dispensatione impetraret.

14. Tamburin.

Secundus casus: si in uno monasterio inventiatur una tantum monialis habens requisita à Concilio; an tunc ista necessariò sit eligenda, tunc enim videtur quod est contra substantiam electionis respondet Tamburin. tom. 4. disp. 28.

quest. 2. num. 10. Quod necessariò illa quadragenaria sit eligenda, quia illud non est restrictio hominis ad personam, sed est restrictio juris ad qualitates substantiales actus. Tamen simpliciter illa electio non est libera, sed coacta, quia necessariò illa persona, & non alia est eligenda, & ideo existimo, quod recurrendum est ad remedium assignatum in Concilio sess. 25. cap. 7. de Regul. Quod potest eligi alia, quæ excedat triginta ætatis annos, & habeat quinque professionis. de quo dixi quest. 2.

Tertius casus: Si in uno monasterio concurrant due moniales ad Abbatissatum, & utraque digna sit, & una ex eis habeat quadraginta annos ætatis, non tamen quinque professionis. Altera verò habeat illos, imò & octo annos completos non tamen habeat quadragessimum ætatis, licet triginta excedat? Quænam ex his præferenda est?

Respondeo cum Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 6. num. 10. & Pellizar. tom. 3. tract. 10. n. 10. num. 93. Quod quamvis ex utraque parte multa possint fieri argumenta, tamen res est arbitraria, & judicio prudenti Prælati resolvenda, cum negotium sit, ut excedens, & excessum ponderatis coram Deo aliis circumstantiis religionis, reformationis, ac maturitatis, ad quam maximè conducit major annorum ætas.

QUESTIO VI.

Monialis non habens quadraginta annos poterit eligi in Vicariam in Capite.

SUMMARIUM.

- 17. Non potest eligi in Vicariam.

RESOLUTUM est juxta Concilium Tridentinum, quod monialis non habens quadraginta annos non potest eligi in Abbatissam, poterit, ne eligi Vicariam in capite? Respondeo negativè? Quia mens Concilii est, ut regimen conventus sit in persona maturæ ætatis, & forma data in aliquo actu est adimplenda per æquipollens, & ad unguem debet observari. Alexand. in lib. 1. ff. de liber. Gomez. in c. 1. Alexand. n. 18. de constit. lib. 6. ubi multos alios citat.

QUESTIO VII.

Ex quonam Tempore Abbatissa electa debeat inchoare usum suæ potestatis, agiturque de ejus confirmatione.

SUMMARIUM.

- 18. Electa Abbatissa confirmanda.
19. Electa & nondum confirmata non habet Auctoritatem ad gubernandum.
20. Ab hac regula excipiuntur quatuor casus.

ELECTA Abbatissa confirmanda & à suo superiori immediato, si autem Prælati confirmare